



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Malum alicui imprecans agit contra charitatem, & ideò peccat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

debeatur, aut à quibus non sibi debetur.

Malum alicui imprecans agit contra charitatem, & ideo peccat.

MAledictio qua quis imprecatur alicui malum, peccatum est mortale ex suo genere: quia contra charitatem est cupere alicui malum. Aduertenda tamē sunt hic quatuor. Primum est, quòd est sermo de malo sub ratione mali, & non sub ratione boni honesti vel utilis: hoc est ad maledictionem requiritur quòd desideretur homini malum puta mors, infamia, damnum rerum, infirmitas, & si quòd aliud malum occurrit: ita quòd non desiderentur ista illi ut iustitia Dei aut reipublicæ habeat suum locum, sicut lætabitur iustus quum viderit vindictam. Et similiter quòd nō desiderentur ista illi ut medicina corrigens illum, & reducens ad sanitatem anime, aut saltem reuocans ab oppressione bonorum. Sed desiderantur ista proximo non curando plus, hoc enim est desiderare malū formaliter. Secundum quòd sermo est de creatura rationali, cui soli potest aliquid mali obuenire. Vbi cautē aduerte, quòd si maledicuntur creaturæ irrationales absque alia adiunctione, peccatū est otiosi verbi. Si verò maledicerentur ut sunt creaturæ Dei, non esset simplex maledictio, sed blasphemia: sicut etiam blasphemia est maledicere sanctos aut Deū. Si autem maledicerentur in ordine ad homines vel ut sunt res alicuius (ut si quis imprecetur sterilitatem agro alicuius, aut mortem pecudibus alicuius, &c.) perinde esset ut imprecari damnum homini qui est dominus. Vel ut sunt contentiua, & breuiter relatiua ad bona humana: ut si quis hac ratione maledicat diem natiuitatis suæ, vel alterius, idem est, ac si maledixisset hominem illum nascentem. Si verò relatiuè ad mala humana nullum peccatum est, sicut

neg

nec maledicere humanis malis. Sic enim Iob maledixit diem natiuitatis suæ pro quanto continet tor mala culpæ & pœnæ huius vitæ. Et Dauid montes Geli-boë, pro quanto ibi occisus est populus Domini. Et sic de similibus. Dæmonem demum maledicere absolute non est peccatum: quia ratione status sui mali intelligitur à Christianis maledici. Tertium est, quod maledictio dupliciter incurritur: scilicet vel per se, hoc est ex intentione maledicendi malum eueniat. Et sic est peccatum mortale, si homo maledicitur directè vel indirectè, vt declaratum est: nisi propter imperfectionem actus, vel ex parte mali, quia minimum pro nihilo reputatur, vel ex parte affectus, quia non ex consensu rationis cupiebat. Et materialiter incurritur maledictio, quum maledicit verbo sed non animo maledicendi, sed ex surreptione vel lapsu linguæ, aut malo vsu huiusmodi profert. Et est veniale peccatum.

Quartum est, vt non fallaris confessor, quod ad duo. Primò, ad discernendum si persona illata maledixit ex animo vel non: nam non oportet inspicere ad tempus quietis, sed ad tempus iræ & furoris. Et hoc enim quod post iram persona quieta nollet malum illi cui imprecata est, non habetur signum sufficiens quod non maledixit ex animo, sed solummodo quod non perseuerat in malo animo. Sed oportet scire, si tunc quando imprecabatur, passio iræ & furoris in tantum præualuit quod flexit voluntatem ad consensum, ita quod tunc voluisset vt eueniret quod imprecabatur. Nam si sic est: non excusatur à mortali: sicut nec qui ex nimio libidinis ardore consentit vt vellet fornicari, quamuis transacta tentatione nollet, & gaudeat quod non fecerit, & multum doleret si fecisset, simile est enim hic & ibi. Secundò, ad discernendum animum eius qui maledixit irrationali creaturæ

respectuè ad bona humana: puta maledictus sit dies in quo natus est, aut in quo natus sum, & similia: quoniam ipsimet qui dicunt non intelligunt verborum proprium sensum, quòd scilicet redundet in maledicendum illum hominem nascentem. Et propterea oportet examinare animum dicentis, si tunc per illam maledictionem optabat aliquid mali notabilis illi homini, siue sit ipsemet, siue aliter. Nā si optando illi malum notabile dicit, maledictus dies in quo natus es, quasi optans illū non fuisse natū, aut fuisse malè natum, peccatum est mortale sine dubio. Si verò ex ira maledicit diei illi, & intendit quòd dies sit maledictus, sed non intendit per hoc velle vt ille habuerit vel habeat malum ex natiuitate sua, peccatū veniale est: quia intentio maledici non protenditur ad cupiendum malum proximi.

Maleficij crimen qualiter committatur.

Maleficium peccatum est generale, quo quis nocet proximo. Vsurpatur tamen appropriatè pro peccato quo quis nocet proximo per aliquam dæmonis inuocationem. Vnde malefici dicuntur qui impediunt consummationem matrimonii, pueros lædunt, aut etiam occidunt: & quæuis mala alia incantationibus suis inferunt. Constat autem crimen hoc esse mortale ex duplici capite: & quia inuocatio est dæmonum, & quia nocium est humano generi. Confunditur tamen plerumque nomen malefici ad inuocationes dæmonū etiā vtilis hominibus, quum disputatur an liceat maleficiū soluere maleficio altero.

Vbi scito quòd soluere maleficium alio maleficio, peccatum quoque est mortale: quoniam maleficium est secundum se prauum, & nulla potest intentione bene fieri. Et similiter inducere maleficium paratum ad maleficia perpetranda ad soluendum maleficium alio

alio